DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE
SCIRRHO
ET
CARCINOMATE MAMMAE,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME OBTINENDIS
in celeberrima
C. R. ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA
VIDOBONENSI JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

Joannes Rudolphus Ekert,
Bohemus Budvicensis,
Medico chirurgus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
die . mensis Julii 1839.

VINDOBONAE.
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

AVUNCULO SUO OPTIMO

BENEVOLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

RUDOLPHO HANN,

BENEFACTORI SUO MAXIMO.

TENERAS HAS LITTERARUM PRIMITIAS

QUA SPECIMEN PERENNIS

GRATITUDINIS, PII AMORIS

et

SUMMAE VENERATIONIS

sacratas esse vult

devinctissimus
Auctor.

Procemium.

Lex academica, quae ad capessendam legitime lauream in Medicina et Chirurgia dissertationem de aliquo ad rem medicam spectante objecto publicae disquisitioni submittere jubet, non nova a medico tirone exposcit, sed quilibet thema suum eligere, et ea, quae in schola aut lectione auctorum aliorum hausit, tali ratione, quam cognitiones suae permittunt, exponere potest.

Scirrhum et Carcinoma propterea pro themate dissertationis selegi, quia jam ab initio studiorum medicorum in hunc morbum attentus factus sum, et plura in auctoribus diversis legendi, et lecta cum praeceptis C. C. D. D. Professorum meorum, nec non cum casibus observatis comparare potui.

Notae mihi quidem fuere difficultates vires meas superantes, morbum tam gravem pertractandi, nihilominus opus, licet temporis angustiis pressus, adgressus sum, persuasus, quod vix ad congerenda ea, quae in celeberrimis auctoribus inveniuntur, vires meae et tempus sufficiant.

Definitio.

Carcinoma mammae (a καρκινος, Cancer, Krabbe) est degeneratio peculiaris glandulae mammae, quae in structurae et texturae telae organicae alienatione, et productione materiei singularis (Krebsmaterie) consistit, et continuo nisu, partes vicinas sine discrimine telarum fundamentalium destruendi crescit, et sibi ipsi commissa nunquam sanatur.

Notio historica.

Morbus hic, jam antiquissimo tempore notus, secundum Hippocratem foeminas tristes et melancholicas agrediens usque ad recentissima tempora cum aliis admodum diversis confundebatur, donec tandem praeeuntibus Burns, Wardrop, Maunoir, Scarpa et de Walther temporibus recentioribus natura morbi melius perspecta et discrimen ab aliis morbis firmius statuta sit. Diversitas formae effecit, ut ipsi pro evolutionis gradu diversa nomina impertirentur, uti: *scirrhus*, *carcinoma occultum*, *carcinoma apertum etc. etc.*

Symptomatologia.

Evolutio ipsius saepe, quin causa aliqua praecessisset, nonnunquam vero causa occassionali mechanice agente manifeste data contingit. Primum vero exordium rarissime ab aegra ipsa animadvertitur, plerumque fortuito mammas tangendo duritiem detegit, quae primum qua nodus simplex durus incipit, cui mox aliis fasciculis telae cellulosae induratae uniuntur, numero et magnitudine increscentes, inter sese et glandulam mammam confluentes.

Tale initium, licet communissimum, scirrho non semper convenit, nonnunquam enim e nodis lacteis aut induratione longum per tempus jam praesentibus evolvitur, aut inflammationi sic dictae scirrhosae, totam glandulam mammae occupanti et volumen ipsius augenti originem debet, imo et scirrhus et carcinoma cutis mammam tegentis, incremento saepe mammam occupat integram.

Consuetissima ratione exortus cognoscitur sequentibus sypmtomatibus.

Volumen mammarum augetur *), doloribus nonnunquam obtusis, saepe vero plane nullis praesentibus, aequali passu cum incremento voluminis glandulae mammae, papilla sensim sensimque retrahitur, et in statu normali prominens, nunc foveam format. Aegra per longum tempus ingratum ponderis sensum, ac si corpus ali-

*) Rarissime voluminis decrementum observatur.

quod peregrinum temperaturae inferioris mammis inclusum esset, percipit, qui quolibit morbo organismi reliqui, catameniorum fluxu et aëris athmosphaerici vicissitudinibus et aliis circumstantiis augetur. Tumor, quem glandulae mammae exhibent, est durus, duritiei quasi lapideae, inaequalis, gibbosus, formam talem exhibens, acsi glandulae mammae ex pluribus nodis arctissime junctis consisterent. Cutis, tumorem tegens, normali colore et structura notatur, temperatura normali inferior ab aegra ipsa percipitur, vasorum permeabilitate per degenerationem organi partim imminuta, partim sublata. Morbus in hoc evolutionis gradu versans *scyrrhus mammae* nuncupatur.

Causa iterum exigua plerumque praegressa tumor augetur, insimulque dolores lancinantes, nonnunquam scindentes, urentes, mordentes aegram excruciant, pressione non adaugendi et saepe ad humerum et scapulam usque extensi. Cutis, quae primum sicuti cicatriculis parvis obsessa esset, prospicit, decoloratur, livida, tensa, superficiei mammae degeneratae adcrescit, et glandulae sebaceae saepe materie atra obstipae cernuntur. Tumor in parte aliqua attollitur, venae intument, et sub augmento dolorum cutis rubescit. Hunc evolutionis gradum nonnulli *carcinoma occultum* adpellant.

Sub incremento molestiarum cutis in parte maxime attenuata rumpitur, ulcusque exoritur marginibus duris, exesis, lividis, extrorsum versis, vasis varicosis obsessis, fundo impuro, atro, ceruleo, adtactu insensili. Fluidum secretum nonnunquam limpidum sero simile, plerumque vero brunescens, striis sanguineis remixtum,

graveolens, vicinas partes corrodens, raro magna quantitate effluit (*carcinoma apertum*), quin tumoris volumen imminuatur. Glandulae vicinae axillares participare incipiunt, et scirrhosae factae etiam destruuntur.

His adsociantur dolores in diversis corporis partibus, saepissime vero in regione lumbali et in cruribus, rheumaticis doloribus perquam similes. Nutritionis opus prosternitur, aegra emaciatur, color faciei morbo peculiari modo defigurato in proprium terrestrem mutatur, brachium partis adfectae intumescit et trunco admoveri non potest, oriuntur fungositates in ulcere carcinomatoso et haemorrhagiae, quibus postmodum febris depascens, sudoribus profusis nocturnis, viscidis et diarrhoeis colliquativis comitata, residuum roboris aegrae consumens adsociatur.

Scirrhus, si primum exordium in cute sumit, maculae durae, parvae aut noduli forma in aliqua cutis parte incipit, quae pededentim rubescens, mox ulcerationem pedisequam habet, doloribus lancinantibus sese manifestantem. Haec plerumque mox circumferentia adaucta, glandulam mammae adgreditur.

Structura.

Scirrhus, si anatomicae disquisitioni submittitur, duram, compactam, non compressibilem, stratis tenuioribus quidpiam pellucidam, consistentiam lardaceam cartilagineam offerentem, et e duobus diversis substantiis consistentem massam offert. Prima fibrosa, e centro radiorum adinstar strias albas emitit, quae nonnunquam

ultra tumorem extenduntur, quod ex retractione papillarum cognosci potest. Haec diversa ratione dissepimenta formans in cellulas concrescit, in quibus altera substantia continetur. Haec plerumque amorpha, flavo viridescens et laete rubescens aut brunescens lardacea invenitur.

Carcinoma occultum vero massam offert, in centro duriorem quam in peripheria, quae hic illic punctis rubris notata, plures fluido spisso cinereo, sanguinolento acri repletas recludit excavationes, quarum facies interna substantia molli, fungosa tegitur.

Diagnosis.

Datis his symptomatibus Diagnosis firma statui potest. Saepe vero scirrho incipiente symptomatum syndrome medicum etiam versatissimum fallere potest. Frequentissime confunditur cum tumore cystico, nodis sic dictis lacteis, induratione et fungo medulari.

Differt scirrhus a tumore cystico, quod tumor cysticus limitibus strictioribus cinctus, formae rotundae accedat, elasticus aut vero aperte fluctuans sit, pro diversitate crassitiei cystidis ipsum formantis, quod nisi inflammatio accesserit, indolorificus sit, et organismus e morbo locali non participat, imo florem sanitatis optime nonnunquam exhibeat.

Characteres, e quibus nodi lactei a scirrho diagnosis desumitur, sequentes fere sunt. Exoriuntur aut

sub graviditate aut sub lactatione, causis inflammationem gignere solentibus praecesssis. In initio nonnunquam symptomata inflammationis aperta praesto sunt, sensim disparentia.

Tumorem format rotundum, mobilem, arcte circumscriptum, indurata tela cellulosa non circumdatum; in medio plerumque mammae versus papillam situm, et fasciculis telae cellulosae induratae reliquae mammae non unitum. Minuitur cum lactis effluxu et fluentibus catameniis, atque subsequa graviditate plerumque evanescit. Sed hic etiam formam malignam adsumere potest, si aegra cessationi catameniorum proxima arthritide aut alia discrasia laborat, et facile degenerationem scirrhosam pedisequam habere potest.

Si de diagnosi scirrhi et indurationis agitur, indoles et decursus praegressae aut currentis inflammationis perpendendus. Induratio plerumque in foeminis caeteroquin sanis vigesimum et trigesimum inter annum versantes occurrit. Tumor quidem, quem induratio ostendit, magis superficiem occupat, mobilis, etiam temperaturam minorem et consistentiam majorem offert, pondere vero et doloribus, scirrhum consuetim comitantibus, aegra non molestatur, nec durities aut forma gibbosa scirrho propria observatur, papilla mammae non retrahitur. Maximum discrimen vero, praeter quod induratio remediis resolventibus sanari potest, et scirrhus insanabilis, omni artis conamini resistit, structura exhibet et diagnosim confirmat. In induratione lympha in cellulas effusa indurata, formatis vasis novis permeatur et sustentatur, in scirrho vero numerus vasorum minuitur

et praeterea substantia fibrosa evolvitur, quae in induratione semper desideratur. Negari tamen non potest, quod ex priori morbo, faventi constitutione sensim posterior propullulare possit.

Fungus medularis, qui aut ex glandula mamma aut inter hanc et axillam evolvitur, tumorem format glabrum, circumscriptum, elasticum, jam sub exordio mollem, mox vero fluctuationem aemulantem; dolores minores, rarissime intumescentiam glandularum axillarium et nunquam retractionem papillarum mammae qua comites agnoscit. Exoriuntur plerumque periodo evolutionis, quum scirrhus ille revolutionis proprius sit. Consistit ex substantia pulposa, medulae cerebrali simili, cum dilatatione et formatione vasorum novorum.

Decursus et Duratio.

Sicuti primordia carcinomatis jam exposita multis et magnis differentiis obnoxia prodeunt, sic etiam decursus et duratio totius morbi multopere variat. Evolutio scirrhi enim mox rapidissime, mox lentissime contingit, et in utroque casu scirrhus nonnunquam illico in carcinoma abit, nonnunquam vero per annos, quin fontem molestiarum aliquarum sisteret, immutatus permanet, imo periodicum incrementum alternatim cum fallaci decremento nancisci observabatur. Rarissimis casibus exceptis in carcinoma properat, quod evolutum brevi tempore vires aegrae consumit et inanibus doloribus mors exoptata finem imponit. Scirrhus, qui per annos persistiterat, lubenter sub cessatione catameniorum in carcino-

ma abit, quod vero causa aliqua mechanice agente praegressa quolibet tempore contingere potest. Ob diversitatem durationis et ducursus in acutum et chronicum dispescitur, acutus suppurationem insequuturam aemulatur, quae vero nunquam adparet, sed destructione jam supra adlata progrediente mors citata irruit. Chronicus nonnunquam ulcerationem superficialem exhibet, quae cicatrice per aliquod tempus claudi potest.

Natura.

Naturam morbi pertinacissimi et atrocissimi medici ab antiquissimis temporibus revelare adnitentes hypotheses diversas statuerunt, quin tamem e conaminibus ipsorum emolumentum aliquod prosiliret. Hippocrates causam scirrhi atram bilem ex eo concludit, quod foeminae tristes, melancholicae scirrho magis obnoxiae videntur. Paré fluidum malignum corrodens, Crawfort gas hydrothyonico analogum, Petit, Quesnay, Pelletan, Sömmering, Ledran vitiatam lympham causam scirrhi adcusant, Bell et Ponteau originem e causis externis derivant.

His opinionibus vigentibus scirrhus et carcinoma mox pro morbo locali, mox pro universalis producto declaratus est, mox discrasiae insequentis causam, mox sequelam transitus scirrhi in carcinoma sistens. Nonnullis imo placuit hydatides carcinomatosas adsumere, quin tamen animali quidpiam simile in scirrho inveniri possit. Scarpa hypothesim rationi et experientiae ex omnibus minime repugnantem statuit, scirrhumque pro

germine maligno in toto organismo progenito et in aliquam partem deposito agnoscit, ubi per determinatum tempus, quin noxam adferret, latere potest, ex quo dein in cancrum transmutato, dyscrasia universalis exoritur. Propterea etiam exstirpationem in illis casibus solum vere proficuam esse credit, in quibus scirrhus doloribus adhuc expers est.

Aetiologia.

Quum scirrhus et carcinoma morbum naturae penitus ignotae remediis quibuscunque pertinaciter resistentem sistat, causis occasionalibus aut nullis aut inflammationem solummodo gignere solentibus exoriatur, et parte degenerata operatione chirurgica separata, aliam partem adgrediatur, dispositio certis individuis conveniens omni jure in hunc morbum defenditur, cujus essentia vero nos penitus fugit, et quae certa quadam vitae periodo in morbum transit.

Secundum experientiam vero foeminae inter trigesimum quintum et quinquagesimum annum versantes, quorum functio uteri inordinata fuit, steriles sub cessatione catameniorum, scirrho quam maxime obnoxiae esse videntur. Negandum tamen non est, dari dispositionem haereditariam, per plures generationes sese extendentem. Adcusatur porro lactationis opus neglectum, constitutio lymphatica, temperamentum melancholicum aut cholericum, pathemata animi tristia, quae vero solummodo dispositionem praesentem ad altiorem gradum evehere possunt.

Causae excitantes, licet nunquam solae scirrhum aut carcinoma provocare possunt, plurimae esse censentur, uti sunt: laesiones mechanicae pressionem aut contusionem producentes, tractamen irritans indurationis, victus vilis, depravatus, aër humidus, frigidus, squalidus, vitae genus sedentarium et habitatio in locis accessui solis radiis clausis.

Causis scirrhum et carcinoma gignentibus adnumeratur a nonnullis contagium, ab aliis prorsus negatum, et secundum alios solum in certis periodis activum, licet autem resorptione ichoris carcinomatosi, dyscrasia manifestius palam fiat, et organismus totus inficiatur, tamen omni jure supponitur, dyscrasiam carcinomatosam evolutioni scirrhi et carcinomatis praecessisse, et solum resorptione ad gradum altiorem evectam fuisse.

P r o g n o s i s.

Scirrhus et carcinoma morbum sistit pertinacissimum et atrocissimum, qui nunquam naturae solius conaminibus, et si hypothesis a Scarpa prolata vera, solum qua scirrhus artis auxilio tolli potest. Remedia omnia therapeutica frustra huic morbo opponuntur, et salus unica in amputatione vel exstirpatione vel destructione partis totius mammae degeneratae consistit. Qualicumque vero ratione pars degenerata amovetur, aegra nunquam a recidiva munita est, quod, nisi tota glandula mamma operatione a reliquo corpore sejungatur, eo facilius contingere potest, quum scirrhus nunquam organo sano insidet et limites ipsius determinari nequeunt. Raro

periculum ulcerationis aut novae carcinomatosae degenerationis adducitur.

Quod huic Methodo opponi posset, quod pars fibrosa scirrhi ultra peripheriam partis degeneratae in telam cellulosam propagata difficillime exstirpatione separetur, emolumenta hujus methodi non minuit, nam ubicunque pars fibrosa aut cuti aut aliis partibus inseritur, hae immobiles fiunt, et cum scirrho ipso amovendae sunt. Si vero exstirpatione mammae glandula degenerata a reliquo corpore sejungitur, sequentes regulae observandae sunt:

1. Exstirpentur omnes partes, quae processu morboso qualicunque modo alienatae sunt.
2. Exstirpetur glandula mammae integra, quia scirrhus organo sano nunquam insidet, et limites ipsius determinari nequeant.
3. Formetur vulnus tale, ut facili uniri possit, ut sanatio per primam intentionem possibilis reddatur, suppuratio et ex hac prosiliens periculum exulcerationis aut novae carcinomatosae destructionis evitetur. In genere forma optima vulneris ea censetur, cujus diameter longior a sterno ad scapulam tendit, et margines semilunares omnem cutem morbose alienatam et papillam glandulae mammae includunt. Hac ratione etiam cicatrix deformis optime evitatur.
4. Exstirpata glandula mammae solertissime lustretur, an strato telae cellulosae sanae tecta sit, hoc propterea requiritur, quia pars fibrosa scirrhi saepe in telam cellulosam ad speciem sanam extenditur.

5. Partibus omnibus degeneratis amotis, vulneris margines sutura circumvoluta aut intercisa uniantur.

Expositionem exstirpationis glandulae mammae parum ab ea tumorum cysticorum abludentem supersedeo.

Post exstirpationem conamina eo tendant necesse est, ut inflammatio ad vulneris concretionem necessaria limites suos non excedat, quod si fieri minaretur, methodus antiphlogistica opponenda erit. Si autem exstirpatione facta, carcinomatosa degeneratio adparet, causticis destruenda est, quod si vero nullum effectum exoptatum exinde nancisci possumus, tunc ad remedia illa confugiendum est interna, quae in therapia carcinomatis exponuntur, et quae aut contra effectum ichoris resorpti carcinomatosi, aut contra symptomata periculosa virtutem fere specificam explicare dicuntur.

Exitu scirrhi in carcinoma facto, operatio paucam spem felicis eventus admittit, quia totus organismus ichore carcinomatoso resorpto inquinatus est, et lubenter scirrhosa degeneratione organi alicujus hucusque ad speciem sani corripitur, quae vero saepe post exstirpationem scirrhi contingit.

Hac ratione operatio rationi et experientiae contradicere videtur, nam, si scirrhus et carcinoma productum morbi universalis sistit, morbum ipsum generans, operatione tolli nequit, si vero opinio de natura scirrhi a Scarpa prolata, superius exposita, non omni caret veritate, omne jure exstirpationem scirrhi instituimus, carcinoma nulla encheiresi turbantes. Etiam si exstirpatio carcinomatis nullam spem felicis eventus operatio-

nis admittit, hanc tamen, si instituitur, eo excusare possumus, quod vita aegrae procrastinetur et dolores immanes carcinomati proprii auferantur. In morbo hunc evolutionis gradum assequuto omnia, quae in cura palliativa scirrhi exposui, adhibenda sunt.

Inserviunt adhuc ad morbum mitigandum aut saltem molestias aegram maxime excruciantes minuendas, plura remedia a diversis auctoribus laudata, uti: Atropa belladonna, conium maculatum, Digitalis purpurea, Aqua laurocerasi, praeparata Hydrargyri, calendula officinalis, Carbonas martis, Murias auri, Fucus helmintochorton etc. etc.

Externe, ut ichoris accumulatio evitetur, frequens deligatio cum linteo carpto, lotio ad foetorem minuendum cum calce chlorica, aceto et aliis, cataplasmata e cicuta, belladonna, digitali et calendula, solutiones extractorum narcoticorum, aqua calcis, liquor amonii puri dilutus, hepar sulphuris, mercurius sublimatus corrosivus, quae pro necessitate seligenda et adhibenda sunt. Doloribus nimiopere saevientibus opium, belladonna et hyoscyamus opponitur, Chelius *) laudat fomenta tepida e solutione hepatis sulphuris in aqua rosarum cum extracto hyoscyami. Laudatur porro usus in- et externus arsenici albi, qui licet externe adhibitus magnam sibi vindicavit laudem, pharmacon sistit usui interno nimiopere periculosum, et propterea solummodo summa circumspectione et dosi minima adhiberi potest.

---

*) Chelius Handbuch der Chirurgie. II. Band, 2. Abtheilung, §. 2099.

Febure grana quatuor arsenici albi in libris duabus solvere, et primis octo diebus quotidie ventriculo jejuno cochlear cibarium cum aequali quantitate lactis aut drachma syrupi diacodii sumere, dein ad cochlearia duo, et post quatuordecim dies ad tria adscendere suadet.

Usus externus arsenici albi varia ratione modificatus est. Sic Cosme et Hellmund forma pastae, Graves forma emplastri, Dupuytren forma pulveris et pastae, Justamond forma unguenti arsenicum album adhibent.

Excepta methodo a Cosme praescripta, reliquae nonnunquam proficue esse possunt. Omnes vero potius in illis solum casibus adhibendae sunt, in quibus carcinomatosa destructio in cute saevit, glandula mammae aut sana aut parum adfecta.



exstirpatione carcinomatis vita aegrae salvatur, sed solum cruciatus immanes minuuntur.

Scirrhus paucis solum casibus, in quibus per integram vitam immutatus perstitisse dicitur, exceptis, in carcinoma properat, quod efformatum mors inevitabilis scenam deplorabilem claudens sequitur.

Variat autem Prognosis pro aetate aegrae, duratione morbi, rapiditate evolutionis, stadio, extensione, constitutione aegrae, complicatione et vitae ratione. Infaustior enim Prognosis quo provectior aetas menstruis jam silentibus, quo celerius capiat morbus incrementum, quo minus aegra noxas evolutioni carcinomatis faventes evitare potest, aut dyscrasia aliqua alia laborat, infaustior, si jam carcinoma occultum et infaustissima, si carcinoma apertum jam evolutum est.

Eventum felicem operationis dubium reddunt, intumescentiae scirrhosae glandularum axillarium, et spem salutis recuperandae penitus destruit, adcretio glandulae mammae musculo pectorali, vel scirrhus incipiens organi alterius. Quo magis vero aegra viribus spollet, morbus hic solus existit, quo magis noxae in Aetiologia expositae evitari possunt, quo regularior menstruorum periodus, eo feliciori eventu operatio plerumque coronatur. Sed etiamsi conditiones sanitatem recuperandam promittentes omnes praesto sint, tamen nonnunquam fit, quod scirrho operatione amoto, exulceratione aegra interit, et hac ratione exitus infaustus solum acceleratur, quod tum plerumque contingit, si scirrhus lente evolvitur, et nullis doloribus commitatur.

Therapia.

Licet scirrhus et carcinoma morbum ejusdem naturae exhibent, et remediis iisdem debellandi sunt, tamen eventus conaminum artis in utroque diversus est, quapropter curam utriusque sejungendam esse mihi proficuum videtur. Cura vero utriusque morbi non uti aliorum radicalis et palliativa institui potest, quum scirrhus et carcinoma insanabilis est, sed solummodo posterior tentanda est, quamquam medici antiquiores alium ac hodiedum de natura utriusque foventes conceptum radicalem instituere conabantur, et diagnosi vacilante alium morbum pro scirrho habentes remediis in- et externis scirrhum et carcinoma sanasse contendebant, mox huic, mox alio remedio maximam fidem tribuentes. Sed quum neque ratio, neque experientia remedium detegere potuit, scirrho aut carcinomati auferendo par, et carcinoma omnia therapeutica morbum sanandi funestum exitum accelerant, adlaborandum solum erit, ut evolutio scirrhi impediatur et si impossibile, saltem incrementum retardetur.

Evolutionis autem exordium rarissime cognoscitur, et causa scirrhum generans, praeter dispositionem pro certo nulla adcusari potest, propterea quum scirrhus verus resolvi non potest [1]), sed semper, licet modo

---

[1]) S. Young suadet compressionem scirrhi pedetentim adaugendam, qua scirrhum sustulisse adfirmat. Alii nil nisi celeriorem transitum in carcinoma compressione adhibita observarunt.

nonnunquam vix perceptibili crescit, et in carcinoma properat, conamina eo tendant necesse est, ut scirrhi transitus in carcinoma quantum possibile procrastinetur. Hunc scopum vero adipisci possumus, si momenta omnia, quae scirrhi inflammationem, et carcinomatis evolutionem adjuvant, solertissime arceantur, quibus ut satisfiat,

1. Mammae a qualicunque laesione mechanica curiosissime muniantur.
2. Suspensae et suffultae teneantur, ut quaelibet irritatio, etiam ea scirrhi pondere prodiens, evitetur.
3. Aequabili calore foveantur, ne aëris atmosphaerici vicissitudines influentes irritationem producant, tegantur ergo v. g. pelle cuniculi.
4. Omnis se- et excretionis opus, praeprimis vero secretio cutanea et, si adhuc fluunt, catameniorum adjuvetur.
5. Regimen diaeteticum strictissimum praescribatur, et quidem consumat aegra victum parum nutrientem, eupeptum, stimulantia et spirituosa aut aromatica cujuscunque generis fugiens, versetur quantum possibile in aëre puro, consortio amoeno, liberetur a curis domesticis, evitet pathemata animi deprimentia, et spe lactetur sanitatis recuperandae.

Inserviunt porro ad funestum scirrhi exitum praecavendum parvae pro necessitate institutae phlebotomiae, hirudines, fomenta frigidiuscula, eccoprotica

antiphlogistica et secundum **Rust** [1]) decoctum **Zittmanni**.

Laudatur etiam internus usus carbonis animalis et acidi hydrocyanici.

Exigit vero hanc curam palliativam scirrhus glandulae mammae, si partes omnes degeneratae cultro amoveri nequeunt, si aegra operationem recusat, plura organa scirrho laborant, aut malum lentissimo passu ad evolutionem carcinomatis properat. Hac ratione vero cavendum est, ne medicus ope inani scirrhum sanandi esse ipsum decipiat, nam scirrhus solum operatione tolli potest, et haec unica via, licet non semper salutem aegrae adfert.

Ubi ergo scirrhus solum glandulam mammalem adgressus est, reliquis organis sanis, ubi omnia degenerata operatione a reliquo organismo separari possunt, et vires aegrae faustum eventum sperare concedunt, glandula mammae scirrhosa cultro amovenda est. An vero amputationi, an exstirpationi praerogativa sit tribuenda, auctores inter sese dissentiunt. Major vero numerus exstirpationem praeferendam esse censet:

1. Quia forma vulneris sanationi aptior formatur, ita ut nonnunquam maxima vulneris pars per primam intentionem coalescit.
2. Quia vulneris superficies melius tegi et ab omni influxu nocivo muniri potest, et
3. Hac ex causa, suppuratio si contingit, minus

---

[1]) **Rust**'s Chirurgie, Band III. Seite 462.

Litteratura.

Pauer, Dissertatio de scirrho mammarum, Altdorf 1693.

Peyrillhe, de cancro, Paris 1774.

Janisch, vom Krebs und dessen Heilart, Petersburg 1793.

Müller, Dissertatio de scirrho praesertim mammarum, Jenae 1779.

Sebast, de scirrhis et cancris mammarum. Col. 1790.

Bell, über den Krebs und Brustkrebs, London 1788.

L. Heister, Dissertatio de optima cancrum mammalem exstirpandi ratione, Altdorf 1720.

Tabor, Dissertatio de cancro mammarum cumque nova exstirpandi methodo, Traj. ad Rhen. 1721.

Homé, observations on cancer, London 1805.

de Haupeville, la guerison da cancer au sein, Bouen 1793.

Bell, über die verschiedenen Krankheitsformen, welche man unter dem Namen: Carcinoma mammae begreift. Med. chirurg. C. Trans. Vol. XII. Pag. I.

A. Cooper, Lectures on Surgery. Vol. II. P. 163.

Scarpa, Opusculi di Chirurgia, Vol. I. et II.

Benedict, Bemerkungen über die Krankheiten der Brust und Achseldrüsen 1825.

Chelius, Handbuch der Chirurgie, Band II. Abtheilung II. §. 2121—46.

Die Entzündungen, beschrieben und durch Beispiele erläutert von Mich. Hager, Doctor der Medicin und Chirurgie, kais. königl. Rath, Stabsfeldarzt und Professor etc. etc. Pag. 92—124.

Theses defendendae.

I.

Exstirpatio mammae scirrhosae, amputationi praeferenda.

II.

Medicis tironibus lectio Ephemeridum medicarum haud utilis.

III.

Medicamentorum munus et res diaeteticae obeunt.

IV.

Medicinae et Chirurgiae devortium in perniciem aegrorum.

V.

Dantur partus serotini, et lex illos tuens legi naturae non contradicit.

VI.

Non datur, sensus alius quam tactus.

VII.

Qui theorias sublatas vult, sublatam vult idem rationem.

VIII.

In operatione aneurismatis compressio plana constrictioni arteriae praeferenda.

IX.

Opium sedantem et stimulantem exserit effectum.

X.

Diathesis canceratica amputatione mammae non tollitur.

XI.

Exploratio Medicamentorum in aegris illi in sanis praeferenda.

XII.

Transitus sanguinis in foetus in sanguinem matris non datur et vice versa.

XIII.

In enteritide hirudines nullatenus venaesectionem supplere possunt.

XIV.

Varii morbi eodem remedio et unus morbus iisdem remediis sanatur.

XV.

Debilitas apparens mammarum et morbi quidam nulla sunt lactationis contraindicantia.